

## VII.

Pridie Nonas Quintilis mgr. Caspar Landsidelius \* ex scolastica functione urbis Ste- Juli 6.  
tini \* ad nos reversus favore ac benevolentia communitatis in pristinum nostri consilii locum est  
receptus — de quo plura in libro conclusorum indicantur —, \* quia secundum praescriptionem  
statutorum hoc tempore recipi non potuisset. Quod etiam iussu communitatis hunc in librum  
fuit referendum, ne rebus nondum mutatis atque aliter constitutis ab alio in exemplum  
trahi possit.

## VIII.

C 277'. De magistris Caspar[o] Laurentio, Andrea Morrio et Christophoro Figulo. Decretum  
est a communitate nostra, ut fieret recognitio exercitiorum, quae legendo disputandoque obie-  
rant magistri Caspar Laurentius et Andreas Morr, a quorum utroque, etsi statutis nostris  
satisfactum esse inventum fuit, a neutro tamen loci in consilio vacantis, quem mgr. Wolfgangus  
Fusius nondum resignaverat, eo tempore potuit institui petitio. Magistro Christophoro Figulo  
vero petenti eandem recognitionis benevolentiam praestari non posse censuit facultas, quod  
manifestus in biennio ab ipsius promotione nondum completo defectus animadverteretur. Quod  
et ipsum, ut cognosceretur a successoribus nostris, hic iussu seniorum consignandum fuit. \*

IX.<sup>1)</sup>

Mgr. Wolfgangus Fusius eo die, quo magistratu abiturus eram, locum, quem in con-  
silio nostro ei absenti communitas hactenus concessisset, cum gratiarum actione resignavit.

## X.

\* In examine pauperum — ut vocant —, in quo ultra inquiruntur caussae, propter quas  
nonnulli ex optimarum artium studiosis in urbe habitantes deserant aedes collegiorum, com-  
paruerunt suique consilii rationes exposuerunt:

Valentinus Wolfius Hirsbergensis

Erenfridus Oberlender Svartzburgensis.

Quibus ut haec obedientia suo tempore prosit, hic est a me annotata. \*

## 1557 Wintersemester. 297. Decan Andreas Freihube von Sprottau.

C 278.  
N 153'.

Anno Christi Iesu millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo VII. Idus Oct. 11.  
Octobris declaratus est communitatis bonarum artium decanus Andreas Freihube  
Sprottaviensis Silesius, bonarum artium magister, sacrae theologiae baccalaureus et  
collegii Virginis beatae collega, sub cuius magistratu ita studia gubernata fuerunt,  
ut ordine est annotatum.

## I.

N 154. Executorum munus administrarunt una cum decano optimi atque doctis-  
simi viri:

mgr. { Thomas Hofman Bavarus  
Mauricius Steinmetz Misnensis  
Caspar Iungerman Saxo.

<sup>1)</sup> N VIII.